

**Nicolai Lancicij E Societate Iesv Opvcvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Avctor Lectori Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](#)

AVCTOR LECTORI SALVTEM.



OACTVS, & Amicorum precibus, & authoritate Maiorum, mea in lucem proferre Opuscula: monitum esse cupio, quibusdam de rebus, Lectorem. In primis me in iis, non Concionatoris, sed Medici partes agere: ideoque non tam animorum motum, quam aliquam spiritualis medicinae institutionem moliri; profuturam, tum curandis, impediendisque, Tuto, celeriter,

Cels. l. 3. c. 4. ac iucundè morbis: (vti faciendum Medicis, suadebat illustris ingenio, & eruditione Asclepiades) tum sanitati tuendè, roborandis que viribus, ad eximia quæque, generosè in palæstra virtutis patranda requisitis. Quamquam dicta & exempla Sanctorum, quibus copiosè mea documenta illustro, & fidem, pondusque, meis vocalis, veterum auctoritate, concilio, ampli suppeditare poterunt cuius, piorum materiam & occasionem affeūtum. Sæpe meis Opusculis infero, Sanctorum quarumdam insignium, præclara, & ignota multis monita: tum vt Confessarij, ac Concionatores, Deo dicaturum Virginum, in promptu habeant, dicta & facta sexus eiusdem, tanquam illarum accommodata gustui, ideoque ad illas iuuandas efficaciora: tum vt curiosus Lector, qui hoc nimis delicato sæculo, vt ait Dacryanus Abbas, consueta, & vetera, quantumvis utilia fastidit; & cui nihil sapit, nisi quod nouum est, & inauditum; non tantum per excerptas, ex notis Ecclesiae Doctorum monumentis, sed per has quoque (quas in rarioribus ac minimè peruis illarum libris, non legerat) doctrinas, proficiat, tum vt alij, præsertim harum Sanctorum clientes, & ipsi in Dei semitis, currant velocius; & alios existent, etiam teneri sexus ac debilis, vocibus, vestigiisque attracti, Præsertim cum pleræque Sanctorum istarum doctrinæ, publico summorum Pontificum iudicio, tanquam ab ipso Deo immediatè docente, per Sanctam Brigittam, & Sanctam Catharinam, nam Senensem, sint traditæ: aliae vero, conformes in omnibus, incorruptis sanctorum Patrum, ac Scholasticæ Theologiæ Doctorum placitis, à S. Teresia, ac B. Maria Magdalena de Pazzis, ac similibus, diuinis edoctis, manarent. Quarum eximia & numquam satis laudata sanctitas, Apostolicæ Sedis Decretis, per publicos in Ecclesia honores, etiam in Sacrificio Missæ, ac Martyrologio Romano est declarata: & quorum cælestes, pro vita spirituali regenda præceptiones, eximiorum Theologorum, ac probatorum vitæ spiritualis Doctorum, calculo, sunt maximoperè commendatae, tanquam indubia fide, ac imitatione dignissimæ. Harum ergo, & antiquorum S. Ecclesiæ Doctorum sententiis, mea veluti animans Opuscula, audeo & ego, post accuratos aliorum Tractatus, rerum diuinarum scientiam, egregie explicantes, mea quoque monita seu consilia, tamquam pauca panum fragmenta, collecta è Christi conuiuio, vitæ spiritualis Tironibus, aliisque offerre: ac multa suggestere: qua pietatis cultores, vel discant legendō, vel, si didicerunt antea, meminerint, aut toto conatu fugere & corrigeare, aut diligenter querere, & acquisita plenè perficere: ac excelsi sublimitate animi, altissimas Heroum cælestium virtutes, imitando prenseare. Quod, hac ratione, ob supremi Numinis reverentiam, & amorem (que madmodum loquitur Theodoreetus) in corpore mortali & patibili, incorpoream emulentur naturam: & per imitationem eius, qua in calis est, viuendi rationis, omnem Sanctorum virtutem exprimant. Hanc ob causam, dabo, Deo adiuuante operam, vt perfectissima quæque, in Deo, & Sanctis eius, imitanda proponam, & summos perfectionis Euangelicæ apices ostendam. Quia vt præclarè docuit S. Gregorius Nazianzenus: Medici animarum scopus est, anima pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoq; dare: diuinamq; imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare, Christumq; per Spiritum sanctum, in peccoris domicilium admittere: atque vt summatim dicam, eum qui superioris agminis sit, Deum efficere, supernam beatitudinem ipsi comparare. Huc magistra lex tendit: huc exinanita Deitas: huc assumpta Caro. Quocirca, vt idem hortatur alibi: Simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos: efficiamur Dij propter ipsum: quoniam ipse quoque propter nos homo factus est. Vale, & Deum ac Santos eius, pro me ora, vt inchoata perficiam, & tuæ animæ, ac meæ, his Opusculis, quam maximè prosim.

*Bonif. IX.
Mart. V.
Pius II.
Paulus V.
Urban. VIII.*

in prol. rel.
hijst.

Orat. I.

Orat. 4. in
Paschate.

Præclarè docuit S. Gregorius Nazianzenus: Medici animarum scopus est, anima pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoq; dare: diuinamq; imaginem, aut manentem conseruare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum reuocare, Christumq; per Spiritum sanctum, in peccoris domicilium admittere: atque vt summatim dicam, eum qui superioris agminis sit, Deum efficere, supernam beatitudinem ipsi comparare. Huc magistra lex tendit: huc exinanita Deitas: huc assumpta Caro. Quocirca, vt idem hortatur alibi: Simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos: efficiamur Dij propter ipsum: quoniam ipse quoque propter nos homo factus est. Vale, & Deum ac Santos eius, pro me ora, vt inchoata perficiam, & tuæ animæ, ac meæ, his Opusculis, quam maximè prosim.

CATALO-